



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





DISPUTATIO NONA  
In Augustanam Confessionem

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

*De*

COMMUNICA-  
TIONE IDIOMATUM,

*Proposita*

In Electorali Academia wittenbergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,

Templi Arcis Præposito, ac p. t.

Academiae Rectore,

RESPONDENTE

M. JOACHIMO PLENER/

Neotreptra Pomerano.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris*

*ad diem 16. Novembr.*

---

WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXVIII



DISPUTATIO NOVA  
de Argumentum Confessionum

III

COMMUNICA  
TIONE ROMANA

JACOBO MARTINI S. Th.







### Continuatio.

**D**iximus præcedente Disputatione th. 3. Becanum hujus phraseos (*Attributa divina communicata esse humanitati Christi*) triplicem facere sensum. 1. Attributa illa humanitati non in se, sed in supposito sive persona communicata esse. 2. Deinde eidem communicata esse non solum in persona verbi, sed etiam in ipsa humanitate: sed tantum mediata, consequenter & identice. 3. Tandem communicata esse humanitati in se proxime, immediate & realiter, sicut subsistentia illi communicata est. De prima potestate modi illius loquendi egimus hactenus, consequens est, ut ad secundam & tertiam progrediamur, illasq; ordine videamus.

### T H E S I S I.

**D**E secundo intellectu sive sensu hujus phraseos (*Attributa divina communicata esse humanitati Christi*) sic scribit Becanus Theol. Schol. part. 3. cap. 7. de comm. idiom. q. 3. §. 3. *Secundo, inquit, quod communicata sint humanitati, non solum in persona verbi, sed etiam in ipsa humanitate. Non tamen proxime, immediate, formaliter; sed tantum mediata, consequenter & identice. Nam sola subsistentia Verbi, proxime, immediate & formaliter communicata est humanitati in se, & per illam proxime, immediate & formaliter subsistit humanitas: sed quia illa subsistentia reipsa idem est cum essentia & attributis divinis, ideo consequenter & identice essentia & attributa divina communicata sunt humanitati. Non ut humanitas per illa sit omnipotens, omniscia*  
A 2 *& ubiq;*



*Et ubiq; præfens : sed ut per illa , quatenus identificantur cum subsistentia, subsistat.*

II. Circa discursum hunc initio repetendum est, quod supra disputatione sexta monuimus, negandum omninò esse, quod eo modo, quo hic à Becano, mediatè & consequenter dici possunt divina idiomata humanitati communicata, ut nimirum tantum Persona sive subsistentia formaliter & realiter communicata statuatur; idiomata verò divina realiter communicata negentur, ut in sequentibus Becanus §.4. expresse negat Idiomata divina humanitati realiter esse communicata, ut subsistentiæ.

III. Urgeamus ergo rursus contradictionem Becani. Hæc enim ejus est hypothesis, ab ipso in jam allegato discursu concessa: Idiomata divina & hypostasim sive subsistentiam divinam in λόγῳ esse reipsa idem: Ergo concludimus, hypostasim cum idiomatibus divinis esse realiter idem. Huic hypothese cogitur Becanus contradicere hoc modo: Quodcumque cum tertio realiter communicatur, non realiter communicato secundo; illud cum secundo non est reipsa vel realiter idem: sed hypostasis sive subsistentia τὸ λόγῳ realiter communicatur cum tertio, nempe cum humana natura, non communicato realiter secundo, nempe divina λόγῳ natura: Ergo hypostasis sive subsistentia τὸ λόγῳ realiter sive reipsa non est idem cum idiomatibus divinis. Major est immotæ veritatis: Minor est ipsius Becani. Ergo & conclusio manifestè contradicens ejus expresse datæ ac concessæ hypothese, *hypostasim cum idiomatibus divinis reipsa idem esse.*

IV. Objicis: *Ipsos quoq; Lutheranos Theologos uti hæc loquendi formâ; Divinam naturam esse unitam & communicatam humanitati mediante persona.*

V. Ita est: Sic enim Hunnius in præf. Commentarii in Epist. ad Ephes. *Quod amplius objectat Pezel, inquit, me fingere aliud esse Naturarum communicationem, aliud unionem naturarum; breviter respondeo, quia non natura divina primò & immediate vel unita vel communicata est humanitati ( Sic enim Tota Trinitas esset incarnata ) sed sub persona λόγῳ, qua persona mediante, ipsa quoq; natura divina,*



divina, (quippe qua ratione tantum, non reipsa differt à persona λόγος) unita & communicata est carni: idcirco personam seu ὑπόστασιν λόγος immediatum (ut scholastici vocant) terminum assumptionis istius dicimus. Et proinde differentiam specificam unionis primò ponimus in communicatione reali ὑπόστασεως λόγος cum humana natura. Quoniam autem Deitas seu natura divina verbi à verbo ipso realiter non differt: ideo personae communicatio citra dubitationem omnem importat etiam naturae divinae seu Deitatis communicationem sine ulla tamen naturarum confusione. Haecenus Hunnius.

VI. Ex his verò verbis facilè intelligitur discrimen hujus phraeos (divinã naturã communicatã esse humanitati mediante personã) ut illa à nobis, & ut à Bellarmino ac cæteris Jesuitis usurpatur. Nam primùm dicunt & statuunt adversarii personalitatis sive subsistentiæ, & divinæ naturæ discrimen formale esse, & quidem tantum; ut licet subsistentia τὸ λόγος secundum suam formalem rationem humanitati communicata sit, non tamen per ac propter illam communicationem & cum illa simul communicata sit divina natura, & ejus idiomatica, secundum suas formales rationes, atq; sic subsistentiæ communicatio non sit ipsius divinæ naturæ & ejus attributorum communicatio.

VII. Quod ut rectè percipiatur, operæ precium erit, exemplo vel simili id illustrare. Totus homo dicitur esse in loco Verùm quia in homine duo sunt, anima & corpus, formaliter & realiter distincta; hoc immediatè, illa mediatè, & sic καὶ ἀλλὸ καὶ κατὰ συμβεβηκὸς in loco esse asseritur ab Aristotel. lib. 4. Phys. cap. 5 text. 45. Hoc ergo, nempe corpus, tantum formaliter; anima verò non formaliter, proindeq; non propriè & verè dicitur in loco esse, sed saltem respectu corporis, cui inest, & sic per accidens: Ita etiam statuunt Jesuitæ de λόγος, quod nimirum totus sit incarnatus, sive totus sit, & habitet in carne: verum quia in λόγος quasi duo sunt: 1. Hypostasis sive subsistentia, & 2. Divina natura, quæ formaliter distinguuntur; dicunt, quod divina natura tantum mediante persona fit in humana natura, in illa habitat, illique unita & communicata fit, & propterea, vi formalis illius discriminis, tantum persona



fit formaliter & verè in carne, carniq; communicata; non ve-  
rò formaliter ac verè divina natura ejusq; idiomatica, sed tan-  
tum respectu subsistentiæ, quæ sola formaliter & realiter cum  
humana natura fit communicata: proindeque divina natura  
realiter ac formaliter vereque unita cum humana natura non  
fit: quemadmodum anima realiter, formaliter, vereq; in loco  
esse dici nequeat, licet corpus in eo esse dicatur, in quo est  
anima.

VIII. Verum nos, quando dicimus mediante persona di-  
vinam naturam humanitati esse unitam, eiq; communicatam,  
longè aliter phrasin illam usurpamus & intelligimus: nempe  
concedimus quidem formale aliquod discrimen posse dari in-  
ter personam & naturam divinam λόγος; sed ita, ut distinctio  
formalis (ut illam rectè describit *Suarez Disput. Metaph. 7. sect. 1.*  
*§. 13.*) sit, quando diversæ definitiones, seu rationes formales  
à mente nostra concipiuntur; vel quando formales rationes  
sumuntur, ut sunt conceptæ & præcisæ per intellectum nostrum,  
& sic distinctio illa non transcendat gradum distinctionis ra-  
tionis. *Suarez ibid. §. 16.* Quare quando nostrates Theologi  
dicunt, divinam naturam humanitati unitam & communica-  
tam esse mediante persona, hoc volunt, quod non natura di-  
vina absolutè sumta, sed ut persona τὸ λόγος subsistit, huma-  
nitati unita & communicata sit, proindeque ut persona, sic  
quoq; natura divina formaliter, hoc est, secundum suam for-  
malem rationem, & sic revera communicata, idque propterea,  
quia persona, natura & idiomatica divina realiter idem sunt. Ex  
quo fundamento ita disputat Doct. Hunnius in allegata præ-  
fatione: *Et proinde differentiam specificam unionis primò ponimus  
in communicatione reali ἁποσάσεως λόγος cum humana natura.*  
*Quoniam verò Deitas seu natura divina Verbi à Verbo ipso rediter  
non differt; ideo personæ communicatio citra dubitationem omnem  
importat etiam Naturæ Divinæ seu Deitatis communicationem, sine  
ulla tamen naturarum confusione: Proinde si naturarum communica-  
tio negetur, id est, si dicatur, λόγος Deitatem suam personaliter non  
communicasse carni, vel carnem Deitatis non esse factam reali parti-*



*cupatione consortem, expressè pronunciamus, hac naturarum commu-  
nicatione negata, negari etiam communicationem ὑπόστασεως λόγῃ:  
siquidem natura divina & ὑπόστασις Verbi realiter non disse-  
runt, &c.*

**I X.** Tali verò modo Becanus & cæteri Jesuitæ i. discrimen formale in hoc negotio ( ut patet ) accipere non possunt, neque affirmare, quòd subsistentia & natura λόγῃ sint realiter idem. Quandoquidem ipsis longè majus est hoc discrimen, quàm distinctio ex natura rei ( quæ quidem in rebus ipsis habet fundamentum, & virtualiter in ipsis est: actu verò intellectum humanum ejusque operationem non præcedit: quo modo attributa divina, misericordia, justitia, &c. distingui possunt ) imo etiam quàm distinctio pura rationis.

**X.** Nam quæ sic mediatè communicata dicuntur, ut tantum medium, per quod dicuntur illa communicata, realiter & formaliter sit communicatum, & nequaquam etiam illa, quæ mediatè communicata asseverantur; ista non possunt tantum virtualiter sive effectivè, multò minus nuda ratione, & conceptu mentis distingui: Sed necesse est, ut inter illud medium & cætera intercedat aliquod reale discrimen: quemadmodum reale discrimen est inter animam & corpus; ut vi hujus discriminis corpus possit esse in loco immediatè & sic formaliter, realiter ac verè: non verò sic anima.

**XI.** Quare si opinio de mediata communicatione, à Jesuitis concepta, asserta, & defensa, sibi constare debet, necesse est, ut tantum fingatur, concedaturque discrimen inter hypostasim & divinam naturam λόγῃ, quantum est inter animam, & corpus humanum, & sic reale discrimen. Si verò hoc: sequitur præter absurda, in præcedentibus disputationibus ex hypothefibus Jesuiticis collecta, subsistentiam τῆς λόγῃ tantum per se; Divinam verò ejus naturam tantum per accidens humanitati unitam & communicatam esse: quæ verò ita per accidens dicuntur esse, non sunt verè id, quod dicuntur: ut Anima quæ hoc modo per accidens dicitur esse in loco; revera non est in loco: sed in illo duntaxat esse dicitur, quia corpus, cui inest, in loco est.

12. Et-



XII. Etiam si ergo Becanus expressis verbis dicat, se hoc modo communicationem idiomatum in ipsa quoque humana natura concedere: & *Gregorius de Valent. disput. 1. q. 2. punct. 3. §. 3. de unione duarum naturarum* nobis persuadere satagat, neque scholasticos Doctores, neque Jesuitas negare absolute & simpliciter, plenitudinem Divinitatis verbi fuisse realiter assumptæ naturæ communicatam: id tamen ultra substantiæ communicationem non extendunt, cum hoc unice urgeat hic Gregorius. Nam postquam aliquoties inculcavit, ipsum *ESSE* divinum gratis assumptæ naturæ donatum esse, sed tantum ut per illud subsistat; tandem in hæc verba definit; *Quibus verbis satis ostenditur, ipsum esse divinum sine mensura, id est, cum tota plenitudine Divinitatis verbi fuisse donatum assumptæ naturæ, quanquam non ut ipsa ullo modo sit illud, sed (quod sæpè repetendum est) ut subsistat per illud.* Et mox: *Verum enim, ut ostendimus, est, humanitatem, Christi habere illa divina, non ut illa sit, sed ut per illa subsistat, atque eatenus hæc ipsi esse realiter communicata.*

XIII. Ubi primum notandum est, affingere nobis Jesuitam, quasi doceamus, divinam naturam & ejus idiomata ita humanitati communicata esse, ut sit humana natura illa ipsa natura divina, illa ipsa idiomata; uti etiam nobis in subsequentibus hæc absurda tribuit; quasi statuamus, quod *Christus secundum humanitatem sit ipsa persona divina, sit ipse Deus: Verum figmentum hoc Jesuiticum est, & manifesta calumnia: quæ seipsam refutat, si quis nostrorum scripta rectè legat, & evolvat.*

XIV. Deinde notandum, quod monuimus præcipuum, Jesuitas tantum substantiæ unionem & communicationem intelligere, cum semper urgeant, *Esse divinum sine mensura, id est, cum tota plenitudine Divinitatis verbi fuisse donatum, assumptæ naturæ, sed tantum ut subsistat per illud: Phrasi autem illa (esse divinum, communicatum esse humanitati) utuntur tantum, ut imponant & incautos decipiant.* Nam præter modo allegata, etiã hæc Valentiani verba probè observanda sunt, quæ statim in initio allegati paragraphi leguntur: *Neque Scho-*



Scholastici Doctores, neq; nos negamus absolutè & simpliciter plenitudinem divinitatis verbi divini fuisse realiter assumptæ naturæ communicatam, ut iniquè calumniatur Smidelinus : Neq; quod isti affirmant, re ipsa communicatum esse illi naturæ quicquid omninò habet verbum, nos ita rejicimus, quasi nequeat ei modo loquendi aliqua vera sententia subjici. Agnoscimus enim & subsistentiam & etiam divinitatem atq; perfectionem omnem Verbi naturæ humanæ communicatam esse, uno quidem modo maximè reali, ut scilicet **IN PERSONA VERBI SUBSISTAT**; primariò quidem per ipsam verbi subsistentiam seu personalitatem, secundariò autem per divinitatem etiam & perfectiones ejus, quæ ab ea subsistentia re non differunt. Hanc enim vim habet, & intelligitur id, quod Orthodoxi Doctores ajunt, à divinitate quoq; ipsa fuisse naturam humanam assumptam. Et post pauca: Verum est, humanitatem Christi habere illa divina, non ut illa sit (quod neque nos Lutherani docemus) sed ut per illa subsistat. **Atque EATENUS HÆC IPSI ESSE REALITER COMMUNICATA.**

XV. Ex quibus luce meridiana clarius est, licet Jesuita Valentianus multis blateret de communicatione ipsius naturæ divinæ ejusque attributorum cum humana natura; quod tamen inania tantùm verba sine re & veritate effutiat. Dicit enim, quod  $\pi\rho\acute{\omega}\tau\omega\iota$  subsistentia sit communicata, (quod in vero suo sensu concedere possumus) & deinde sit natura quoq; divina & ejus perfectiones communicatæ propterea quia cum illa sunt idem: sed quomodo? tantum & eatenus, ut & quatenus subsistat in illis humana natura, Quod verò nihil est aliud, quàm si tautologicè repetatur, subsistentia tantum est communicata, cum qua natura divina, & ejus perfectiones idem sunt. Et sic manet, quod juxta Jesuitas nihil amplius humanitati sit communicatum, quàm subsistentia.

XVI. Dicimus nos cum orthodoxis Patribus, totum Esse divinum esse communicatum humanitati, non tantùm ut illa subsistat, & in  $\lambda\acute{o}\gamma\omega$  sustentetur, sed etiam ut per illud perficiatur, illudque in se habeat, ac per illud sit potens & operetur. Quod manifestum est ex illo Joh. 3. *Non ad mensuram Filio dat*



*Deus Spiritum.* Quod idem est cum illo Psalmi 45. v. 8. quod-  
que repetitur. Hebr. i. v. 9. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquita-  
tem: propterea unxit TE, Deus, Deus tuus oleo letitiæ, ultra confor-  
tes tuos.*

XVII. Ubi primùm tenendum, quod per hoc unguen-  
tum & spiritum non nisi Spiritus Sanctus intelligatur. Nam  
quis unquàm fuit scriptor Ecclesiasticus, qui hunc Psalmum  
& verba Johannis exponens, OLEUM illud LÆTITIÆ,  
non de Spiritu sancto explicaret? Deinde, quis etiam unquam  
Theologicarum rerum tam fuit rudis & imperitus, ut Christum  
secundum Divinitatem oleo lætitiæ seu Spiritu sancto unctum,  
ante suam incarnationem somniaret? idque contra Danielis  
oraculum; contra Petri testimonium Actor. 10. contra totius  
Antiquitatis perpetuam sententiam? Sic enim Theophylactus  
in Epistola ad Romanos: *POST INCARNATIONEM,* inquit,  
*Jesus Christus, hoc est, UNCTUS est dictus. Unctus enim est*  
*haudquaquam oleo; sed Spiritu sancto, qui quovis oleo præstantior*  
*est.* Sic Hilarius lib. II. de Trinit. *Unctus est Christus, inquit,*  
*IN EA NATURA, qua nos sumus participes ejus.* Ibidem: *Cum*  
*Deus à Deo suo ungitur, id ungitur, quod ab eo, in mysterio CARNIS*  
*SERVILE susceptum est.* Ambrosius lib. I. de Fide: *Unxit te*  
*DEUS, DEUS tuus, oleo letitiæ præ consortibus tuis. Deus est,*  
*qui ungit: & DEUS qui SECUNDUM CARNEM ungitur, Filius*  
*Dei.* Cyrillus lib. 8. Thesauri cap. 1. *Quo modo igitur in Regem*  
*ungitur & sanctificatur, naturâ sanctus, & semper regnans? Sicut er-*  
*go, quamvis semper Rex erat, IN ULTIMIS tamen TEMPO-*  
*RIBUS in Regem UNGITUR, sic altissimus quoque semper erat,*  
*& tamen exaltari dicitur propter CARNEM.*

XVIII. In primis Damascenus lib. 4. Orth. Fid. capite 6.  
Cyrilli & Athanasii hac de re sententiam citans, iisdemque  
subscribens: *Quidam dicunt, inquit, quod nomen CHRISTUS*  
*conveniat soli & propriè secundum seipsum intellecto & existenti ex*  
*Deo Patre genito Verbo. At nos non sic docemus aut sapere aut di-*  
*cere. Nam quando verbum Caro factum est, tunc & ipsum nominatum*  
*esse dicimus CHRISTUM JESUM. Quia profecto unctus*  
*est.*



est oleo letitiae, id est, Spiritu sancto à Deo Patre. Et hac quoque  
caussa Christus nominatur. Quod autem unctio circa humanitatem  
fit, nequaquam dubitaverit quispiam eorum, qui recta sapere sunt  
consueti. Et celebratissimus Athanasius in sermone salutaris Epipha-  
niae hoc pacto dicit: Praeexistens Deus ante adventum in carnem non  
erat homo, sed Deus erat apud Deum Patrem invisibilis & impassibilis  
existens. Quando verò factus est homo, nomen CHRISTUS indu-  
ctum est, & quia sequitur nomen, passio & mors. Siquidem divina  
scriptura affirmat propter hoc unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiae:  
secundum quod divina scriptura saepenumero utitur praeterito tempore  
pro futuro. Idem in oratione contra Acephalos. Ante unionem  
sive divinam incarnationem unius simplicis erat Natura, scilicet divi-  
nae, quae unam persciciebat hypostasim. Neque tum Christus  
erat, neque nominabatur, nisi Prophetico sermo-  
ne id, quod futurum erat, praenunciabatur. Videatur  
etiam Augustinus Epist. 174.

XIX. Certum ergo est, quod Christus sit in tempore un-  
ctus & sic Christus factus: 2. quod proinde sit unctus secun-  
dum humanam naturam. 3. oleo letitiae, hoc est, Spiritu san-  
cto. 4. quodque unctio haec facta sit in ipsa incarnatione.

XX. Quis jam dicet per spiritum sanctum intelligi substi-  
tentiam, vel phrasi illa Spiritu sancto unctum esse significari per  
spiritum sanctum subsistere: ut sit sensus: Pater dedit Filio  
secundum humanam naturam spiritum sanctum ut subsistat,  
vel ut per spiritum sanctum subsistat. Quis inquam, ita in  
mysterio hoc, longè aliter in scripturis revelato, ineptiret?  
Statuendum igitur est, per unctionem hanc nihil significari  
aliud, quàm Christum in carne sua (testante & interpretante  
Petro Actor. 10. v. 38.) infinita miraculorum operatrice po-  
tentia spiritus sancti unctum esse, licet non sub persona spiri-  
tus sancti, sed sub persona filii, cuius proprius est spiritus san-  
ctus. Quando enim (ut utar verbis Doct. Hunnii in allegata  
praefatione) Dei filius hypostaticè sibi unit humanam natu-  
ram, hoc ipso unionis nexu eam in communicationem proprii



sui spiritus incomparabiliter arctius intromittit, quam ullam creaturam aliam. Nam licet cum Spiritu sancto humana Christi natura personaliter non uniat, tamen quia cum Filio hypostaticè unitur, cujus in Deitate proprius est spiritus, fit ut ratione & modo ineffabiliter sublimiore particeps reddatur Spiritus sancti, quam alii sancti, qui non per unionem cum λόγῳ in participationem Spiritus ipsius veniunt: sed extra omnē hujusmodi unionem dona ejus capiunt per gratiam. Quemadmodum etiam potentia, qua λόγος personali communicatione carnem suam perficit, etsi non sub Spiritus sancti persona communicetur ei; tamen quia essentia ratione non est alia, quàm Spiritus sancti potentia, rectè in ista communicatione Christus, qua homo, Spiritus sancti infinito robore, potentiaque ungi prædicatur.

XXI. Inquis, posse oleum illud lætitiæ intelligi de donis Spiritus sancti excellentibus quidem, sed creatis & finitis? Non inficiamur, dona naturæ humanæ inhærentia hinc non secludenda esse: si verò his solis definienda putetur Christi unctio: cur Johannes Baptista Filio Spiritum sanctum NON AD MENSURAM datum testatur? Nam hunc ipsum esse Baptistæ sensum, sequentia testantur, cum additur: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*: En ita diligit Pater Filium, ut & ei nō dimensa quædam ac finita Spiritus sancti dona conferat, sed OMNIA ei in manus tradat, proindeque nihil excipiat eorum, quæ omnipotenti illius dominio non subjiciat & in manus non tradat. Imò tantus Dominus declaratur hic Christus, ut in ipsius fiducia vita æterna sit posita. *Qui enim credit Filio, (addit Baptista,) habet vitam æternam.*

XXII. Nec est, quod quis obtendat, dici dona creata illa, in carnem Christi collata sine mensura respectu creaturarum, non respectu creatoris: Id verò nequaquam probari potest. Nam creata dona, utcunq̄ue magna ea sint & illustria; sunt tamen ad dona sanctorum ( distinctione graduum servata ) proportionabilia, proindeque finita, & sic mensurata. Quandoquidem finitum ad finitam alterum, ratione mensuræ  
& pro-



& proportionis comparabile cum sit, non est utique sine mensura: Quare neque respectu creaturarum dona illa creata sine mensura sunt vel dici possunt. Quam ob causam Divus Paulus corpora nostra in vita beata corpori glorioso Christi, ratione inhærentis claritatis aliorumque donorum *συμμορφά* sive conformia disertè nominat. Phil. 3. v. 21.

XXIII. Manet ergo immotum, licet finita dona inhærentia excellentissima non excludantur, agi nihilominus dictis illis potissimum de infinitis donis, potentia ac sapientia Spiritus sancti: Proindeque non nudam hypostasim carni Christi esse communicatam, ut quidam Jesuitæ absurdè & non sine contradictione fingunt: sed summam & infinitam potentiam ac sapientiam, adeoque ipsam majestatem divinam.

XXIV. Quandoquidem dictis illis Johannis Baptistæ (quod præter ea, quæ adduximus, probè notandum est) agitur de illis donis ac majestate Christi, quæ non modo à Johanne, sed cæteris omnibus sanctis discernitur. Cæteris namque sanctis datur Spiritus sanctus secundum mensuram donationis Christi: Ephes. 4. v. 7. Christo verò non ad mensuram Spiritus datus dicitur; sed omnia in manus ejus esse tradita, de cujus plenitudine nos accipimus Joh. 1. v. 16.

XXV. Adhuc de secundo modo Becaniano sive Jesuitico, quo phrasis illa (*attributa divina communicata esse humanitati Christi*) intelligi queat: sequitur nunc tertius, quem Becanus *Theol. Scholast. parte tertia cap. 7. quest. 3. §. 4.* his proponit verbis: *Tertio, quod communicata sint (attributa divina) ipsi humanitati in se proximè, immediatè & realiter, sicut subsistentia illi communicata est: Ac proinde sicut rectè dicimus, humanitatem Christi subsistere subsistentiâ divinâ: sic etiam rectè dici, humanitatem Christi omnipotentem esse, omnipotentia divinâ, & omnisciam omniscientiâ divinâ, & ubiq; præsentem immensitate divinâ. Sic intelligunt Lutherani, & hoc sensu nos impugnamus Lutheranos.*

XXVI. Ubi primùm notandum est, quod Becanus hunc intelligendi modum, & sic doctrinam de communicatione idiomatum tribuat nobis, ut Lutheranis. Ergo concedat, quod



illa doctrina sit Lutherana & à Luthero ad nos pervenerit. Quod ipsum quoque affirmat, imò urget Bellarminus contra illos, qui Brentium primum hujus doctrinae authorem faciunt, uti ipsius verba Disput. 7. th. 9. allegavimus. Quibus hic addimus Gregorium de Valentia, qui *Comm. Theol. tom. 4. disput. 1. q. 2. punct. 3. §. 2.* in fine, expressè & ingenuè fatetur doctrinam nostram de communicatione idiomatum, ut ea in libro Concordiae proponitur, ac hodiè in nostris Ecclesiis docetur ac defenditur, ex Lutheri & Brentii scriptis desumptam esse. Verba ejus hæc sunt. *Hæc illa doctrina est (nempe de communicatione idiomatum divinatorum) quam ex Lutheri & Brentii scriptis in lucem pretulit præcipuè Smidelinus: quemq; illius factionis homines anno 1580. in libro Concordiae proposuerunt &c.* Merito ergo hodiernos Jesuitas mendacissimæ impudentiæ accusamus, quod magnatibus persuadere satagunt, doctrinam hanc novam esse, & primum cum Formula Concordiæ anno 1580. ortam. Hic Becanus fatetur eam Lutheranam esse: Valentianus affirmat, eam ex Lutheri libris esse depromptam, & Formulæ Concordiæ insertam: Bellarminus contendit & probat Lutherum non Brentium hujus primum autorem esse. Quare non tantum moderni Jesuitæ nobis, sed suis quoque antecessoribus & præceptoribus dicam scribunt, contradicunt.

XXVII. Deinde, affirmamus quidem, ut subsistentiâ divinâ humana natura dicitur subsistere: sic quoque eandem omnipotentiâ dici omnipotentem, omnisciâ omniscientem: verùm immensitate illam omnipresentem sive ubique esse id nemo nostrorum Theologorum unquam vel dixit, vel probavit, uti illud supra demonstravimus.

XXVIII Tertio, quomodo etiam concedamus, naturam & idiomata divina mediante Personâ communicata dici posse, id quoque in præcedente disputatione exposuimus, nempe omnipotentiam, sapientiam, cæteraque divinitatis essentialia idiomata communicata esse, quatenus differentiâ hypostaticâ λόγος determinantur. Quandoquidem rectè docet *Augustinus lib. 15.*



*lib. 15. de Trinitate, Omnipotentiam, Sapientiam, cæteraq; Dei-  
tatis essentialia idiomata hypostaticis differentiis determinari.*

XXIX. Cæterum pergit Becanus §. 5. *Dicimus ergo attributa  
divina hoc sensu non esse communicata humanitati Christi, ac proinde  
in tali communicatione non consistere communicationem Idiomatum, de  
qua disputamus. Ratio sumitur ex iis, quæ dicta sunt cap. 4. q. 2. §. 1.  
Quia impossibile est attributa divina substantialiter uniri seu communicari  
humanitati Christi.*

XXX. Ubi 1. Jesuita ambiguitate vocis *substantialiter* de-  
cipit. Respondemus igitur. Nos non uti hac in re termino il-  
lo. Non enim dicimus divinam naturam & idiomata uniri &  
communicari humanitati substantialiter, sed personaliter. Per-  
sonalem enim agnoscimus unionem & communicationem non  
essentialem, hoc est, talem, quæ unam Personam non unam  
essentiam sive substantiam constituat: ut anima & corpus unam  
substantiam sive essentiam humanam.

XXXI. Quare 2. dupliciter terminus ille intelligi potest.  
Primum ita *substantialiter*, ut statuatur impossibile esse, ut sub-  
stantialiter humana & divina natura uniantur, hoc est, unione  
substantiali sive essentiali: Quod, ut diximus, libenter conce-  
dimus. Deinde ita *substantialiter*, ut dicatur impossibile esse, ut  
ipsa substantia divina, sive ipsa Idiomata divina secundum suam  
substantialem sive formalem rationem uniantur humanitati u-  
nitione illa personali. Hoc verò est, quod negamus: Hic enim  
usurpare possumus illud angeli: *Apud Deum possibile est omne ver-  
bum*, Luc. 1. v. 37.

XXXII. Addit Jesuita rationem hujus *ἀδυναμίας*: *Cum e-  
nim, inquit, quodlibet attributum intrins. cè & essentialiter includat re-  
liqua, necesse est, ut si unum uniatur seu communicetur humanitati, re-  
liqua omnia illi uniantur seu communicentur: At omnia non possunt illi  
uniri: Ergo nullum potest: Minor probatur, quia constat hæc tria non  
posse: 1. Esse actum purum. 2. esse æternum, 3. esse independentem. Cum  
enim humanitas essentialiter sit composita, non potest esse actus purus: &  
cum sit creata in tempore, non potest esse ab æterno: Et cum sit dependens  
à Deo, non potest esse independentens.*



XXXIII. Respondemus ad principalis argumenti 1. Mi-  
norem, eam negando, contraque affirmando, omnia attributa  
divina unita esse; & omnino valere consequentiam: Si unum  
attributum divinum est communicatum, communicata utiq;  
esse omnia, ob rationem à Jesuita allatam: Et subsumimus: U-  
num attributum est communicatum, ut omnipotentia, *Matth.*  
*28. v. 18.* Ergo omnia: licet omnia non de humana natura  
prædicentur. Deinde quod attinet ad probationem Minoris:  
Distinguius 1. inter communicationem & transmutationem,  
2. inter unionem & sic communicationem *κατὰ μέθεξιν*, & uni-  
onem communicationemq; *κατὰ συνδύασιν*. Quæ disparata,  
& secundum esse totum distincta in se transmutantur ita ut unū  
essentialiter mutetur in alterum, illa dicuntur esse, & sunt illud,  
in quod transmutata esse dicuntur. Sic aqua resoluta in aërem:  
non amplius aqua, sed aër est: Et aqua in nuptiis Cananeis trans-  
mutata in vinum; revera erat vinum *Joh. 2. v. 10.*

XXXIV. Sic etiam quæ *κατὰ μέθεξιν* sunt unita vel com-  
municata, illa de istis, quib; communicata sunt, etiã secundum  
*εἶναι* prædicantur, ac proinde dicuntur illud ipsum esse, quod  
unitum sive communicatum est, sic animal unitum sive com-  
municatum est homini: hinc rectè dicitur homo est animal &  
quidem secundum esse. Non autem id procedit in unitis *κα-  
τὰ συνδύασιν*. Anima enim hoc modo unita est corpori: pro-  
pterea dici non potest: Anima est corpus, vel corpus est anima.

XXXV. Deinde rursus distinguendum est inter unionem,  
quam sequitur prædicatio *συνώνυμοι*, sive in quid; & inter  
unionem, quam sequitur prædicatio *παράνομοι*, sive concre-  
tiva, & in quali. Transmutationem quidem & unionem sive  
communicationem *κατὰ μέθεξιν*, sequitur prædicatio *συνώ-  
νυμοι*, & in quid: non verò unionem sive communicationem  
*κατὰ συνδύασιν*. Hanc enim sequitur prædicatio *παράνομοι*,  
sive in concreto, & in quali. Hinc prædicatio hæc: *Deus est  
homo*: vel contra: non est prædicatio *συνώνυμοι* & essentia-  
lis sive in quid: hoc enim esset Eutychianum: sed est prædi-  
catio *παράνομοι* sive in concreto, sive in quali, ut Logici lo-  
quuntur. Deinde quæ prædicantur *παράνομοι*, in concreto &  
in



in quali, illa non tantum debent revera inesse & communicata esse, quoad essentiam & actum primum: sed oportet ut habeant quoque actum secundum sive ἐνέργειαν, & operentur per illud subjectum, quo cum actus primus illorum communicatus est: ut ita fiat communicatio non tantum naturæ ac potentiæ, sed etiam operationis.

XXXVI. Hinc ea, quæ actum secundum non habent non prædicantur παρῶντως sive in concreto: Quare licet Deitas, actus independens, æternitas humanitati communicentur; non tamen prædicantur, quia sunt Idiomata ἀνένεργητα, & nihil per humanam naturam operantur: Atque hæc est ratio, quod dici non possit: *Humanitas est Deus: humanitas est actus independens: Humanitas est æterna.* Quia verò omnipotentia, omniscientia &c. per humanam naturam suam exercent ἐνέργειαν; dici potest, *humana natura est omnipotens: Humana natura est omniscia &c.* Non verò eo modo ut Divina natura: de qua rectè affirmatur, & modo παρῶντως & συνωνυμικῶ: *Divina natura est omnipotens & est ipsa omnipotentia. Divina natura est omniscia, & est ipsa omniscientia.* Distinguatur ergo inter communicationem, quoad rem, & inter communicationem in ratione prædicationis, sive inter prædicationem. Omnia Idiomata divina, & sic actus quoque independens, actus purus, æternitas, sunt secundum rem Humanitati communicata; sed de illa non prædicantur omnia ob rationem jam allegatam & explicatam.

XXXVII. Sed objicere quis posset, in Deo non distinguuntur δυνάμιν & ἐνέργειαν. Sic est: In Deo non distinguuntur: In humana verò natura omninò distinctio hæc est admittenda: quandoquidem illa ad ἐνέργειαν elevatur & procedit.

XXXVIII. Pergit Becanus §. 6. Dices 1. *subsistentia Divina potest substantialiter communicari humanitati, & re ipsa communicata est: Ergo etiam potest illi communicari, esse actum purum, esse æternum, esse independentem.* Nam *subsistentia Divina est actus purus, est æterna, est independens.* Respondeo. *Non sequitur, quia licet subsistentia communicetur humanitati in ratione subsistentiæ; non tamen in ratione puri actus, aut æterni, aut independentis.* Non enim repugnat humanitati subsistere per subsistentiam Divinam: sicut repugnat illi esse actum purum, æternum, independentem. C



XXXIX. Primum quæritur, unde sciat Becanus non repugnare humanæ naturæ subsistere subsistentiâ divinâ? Forſan reſpondebit: Quia ita ſubſiſtit. Sed replicamus, ſubſiſtere quidem ita humanam naturam; Sed ſupernaturaliter. Ergo non poteſt ita humana natura ſubſiſtere naturaliter: proindeq; repugnat huic naturæ, & conditioni ejus naturali, ita naturaliter ſubſiſtere: quod ergo huic humanitati non repugnat, novum & ſuper naturale eſt in hac natura: Eodem modo cenſendum eſt de Idiomatibus divinis: Omnino repugnat naturaliter humanæ naturæ tanquam finitæ, ut τὸ πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος in finitæ in ſe habeat σωματικῶς, Coloſſ. 2. v. 9. & ſic totam naturam divinam infinitam, omniaq; Idiomata divina in ſe habitantia quaſi contineat & ſic communicata habeat ac poſſideat: ſed per Spiritum S. ſupervenientem, virtutem altiffimi & ſic ſupernaturaliter, contraq; & ſuper omnem naturalem rationem ac conditionem factum eſt, ut in hac, nempe Chriſti humanitate, habitet omnis plenitudo infinitæ divinitatis: & ita in illa habitet, ut cum illa natura divina omniaq; Idiomata communicata ſint.

XL. Deinde quod repugnat abſolutè humanæ naturæ, ut nullo modo propter contradictionem in illa reſpectu Idiomatum divinorum fieri poſſit, illud etiam abſolute ſic repugnat ipſi reſpectu ſubſiſtentia. Nam quemadmodum humana natura ſine contradictione non poteſt eſſe divina natura: humana natura finita non poteſt eſſe divina natura infinita, non poteſt eſſe ipſa omniſcientia, ipſa infinitas, ſic neque humanitas eſſe poteſt ipſa ſubſiſtentia, ipſa perſona divina, infinita, &c. Quare ut ſubſiſtentia humanitati non eſt communicata, ut ſit illa, proindeq; dici poſſit, quod humana natura ſit & ſubſiſtat ipſa divina perſona ſecunda, ſed tantum ut poſſideat illam, ideoq; rectè dicatur, quòd in perſona λόγος, & per illam ſubſiſtat: Sic quoque humanæ naturæ eſt omnipotentia, omniſcientia, infinita ac independens natura &c, communicata; non ut ſit illa, ſed ut illa poſſideat, & quibus uti poteſt, utpote ἐνεργητικοῖς ἰδιώμασι utatur, & propter uſum etiam ab illis denominetur: Ut enim duæ illæ cauſæ in unione Perſonæ ſive ſubſiſtentia cum humana natura concurrunt 1. ipſa communicatio actus primi ſubſiſten-



tia & 2. communicatio *ἐνεργείας*, quæ singularis sustentatio; hoc est, subsistentificatio est, & propterea sequitur vera illa prædicatio: Humana natura subsistentiâ *λόγῳ* subsistit, sive est subsistens: Sic quoque quæ Idiomata divina sunt communicata simul quo ad actum primum, & quo ad actum secundum, nempe singularem operationem, ut sunt idiomata *ἐνεργητικά*, omnipotentia, omniscientia &c. illa ob eandem planè causam ac rationem denominant humanam naturam: Nempè quod sit sive etiam existat sive subsistat omnipotens, omnisciens, non verò sit ipsa omnipotentia, non ipsa omniscientia, ut neque est ipsa subsistentia. Contra verò *ἀνεργητὰ* Idiomata, ut actus independens, Deitas, æternitas, licet quoad actum primum, quem tantum habent sine actu secundo; sint communicata, nulla verò illorum sit operatio per humanam naturam, & sic *ἐνεργείας* communicatio; non etiam denominare humanam naturam possunt: Fieret enim illa prædicatio in quid, essetq; *σωάνυμ* & essentialis, non verò personalis & concretiva, sive *πρώνυμ*, ut Logici loquuntur: proindeq; esset falsa, cum neque natura neq; etiam idiomata *ἐνεργητικά* in quid de humana natura prædicari queant.

XLI. Manifestum ergo est, quod ut subsistentia realiter quidem de humana natura prædicatur, non verò essentialiter; sic quoque *ἐνεργητικά* divina Idiomata prædicantur: quodque ratio à Becano allata sit nulla: nempe propterea non posse Idiomata divina humanitati communicari, quod illi repugnet esse ista. Nam ut talis communicatio *ἀνεργητέων* non datur; sic neque *ἐνεργητικῶν ἰδιωμάτων*, neque ipsius *ὑπόστασις* fieri potest: Quare si propterea Energetica Idiomata non possint communicari, etiam ipsa hypostasis & subsistentia non potest communicari. Quod verò absurdum, & à Becano negatur.

XLII. Sic dudum à nobis est subversum *κρησθύγετον* illud. Subsistentiam communicari humanitati in ratione subsistentiæ, non verò in ratione puri actus, aut æterni, aut independentis. Quandoquidem diversa illa ratio vel illud rationis discrimen non tollit realitatem ac identitatem subsistentiæ & divinitatis actus puri, æterni, independentis: illâ verò non sublatâ; sequitur;



quod ut unum, sic quoque alterum communicetur, licet prædicatio statim eadem non sequatur.

XLIII. Pergit Becanus §. 7, *Dices secundo: Ergo falsum est, quod ante diximus, si unum attributum divinum posset communicari humanitati, reliqua omnia posse. Nam subsistentia potest illi communicari, & tamen reliqua non possunt. Respondeo. Subsistentia non est attributum divinum.*

XLIV. Respondemus, rationem hanc veram non esse: nam licet subsistentia non sit attributum essenziale, est tamen personale: utrumque verò est attributum divinum.

XLV. Sed probat Becanus hanc suam assertionem ratione duplici: *Quia, inquit, 1. Attributa divina sunt aliquod absolutum in Deo; subsistentia est relativa. 2. Vnum attributum est de intrinseca ratione alterius: At subsistentia Verbi nec est de intrinseca ratione subsistentia Patris ac Spiritus sancti; nec de intrinseca ratione attributi.*

XLVI. R. Subsistentia quidem dicitur relativa: sed totaliter relativa non est: Quandoquidem Persona, ut talis, subsistentia, ut talis, non est relatio vel relativum quid, sed est absolutum; & reducitur ad Categoriã substantiæ: Quandoquidem subsistere & personam esse, non est modus relationis sed substantiæ.

XLVII. In persona autem deinde fundatur relatio, quod una sit Pater, altera Filius, & ultima Spiritus sanctus, & sic Pater prima, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia persona. Nam Pater dicitur respectu Filii: & hic respectu Patris, & Spiritus sanctus respectu utriusq; spirantis: & secundum dicitur respectu primi, & tertium respectu secundi. Utraque persona & subsistentia æquè habeat absolutam rationem in Deo atque cætera attributa. Et omninò absurdum esse videtur, aliquid subsistere posse in nuda relatione.

XLVIII. Secunda ratio, ut & hæc prima, nihil aliud monstrat, quàm hoc, quod essentialia attributa divina sint distinguenda à personalibus, non verò negant, quod sint attributa divina.

XLIX. Cæterum ex his rationibus duo colligit *περίσματα*  
Beca-



Becanus. Hinc sequitur, inquiens. 1. Subsistentiam relativam verbi posse communicari; & reipsa communicatam esse humanitati Christi, sine subsistentia Patris aut Spiritus sancti; quia una alteram intrinsecè & essentialiter non includit. 2. Pergit: Eandem subsistentiam relativam communicari posse, & reipsa communicatam esse humanitati Christi, sine attributis divinis.

L. Primum πρόημα sine omni dubitatione verum est, Alterum verò sequi ex allatis rationibus, vel etiam veritati respondere negamus. Nam si communicationi obstaret ratio absoluti, sequeretur, quod neque personalitas & subsistentia sit communicata, sed tantum respectus, qui est filiatio & esse secundam: cum tamen negari non possit, quod πρώτως communicatum sit absolutum, nempe subsistentia & personalitas: quandoquidem dicimus rectè, humana natura subsistit in persona & subsistentia τῷ λόγῳ, non ita in filiatione, sive secunda ratione.

LI. Addit autem rationem Becanus adhuc aliam, ob quam statuendum sit relativam subsistentiam communicatam esse humanitati sine attributis divinis: Quia, inquit, relativa subsistentia non includit intrinsecè & essentialiter attributa divina. Nec obstat, quod supra diximus, subsistentiam relativam esse realiter idem cum essentia & attributis divinis. Est quidem realiter idem cum illis; sed tamen intrinsecè & essentialiter non includit illa.

LII. Omnino αὐτότης illa obstat; Quia enim subsistentia relativa est realiter idem cum essentia & attributis divinis; ideo personæ communicatio citra omnem dubitationem importat naturæ divinæ seu Deitatis, & quæ cum illa quoque idem sunt, Idiomatum communicationem. Quod additur, licet persona sit realiter idem cum attributis divinis, quod tamen illa essentialiter ac intrinsecè non includat; miramur sane id tam audacter à Becano & Jesuitis asseri.

LIII. Dicat mihi Becanus, quam habeat essentialem rationem aliam personæ λόγῳ, quàm essentiam divinam λόγῳ. Hæc certè est ipsa Entitas, ipsa intrinseca ratio & constitutio λόγῳ: hæc facit ut λόγος sit, ut λέγος sit Deus: & sine illa λόγος neque sit, neque considerari neque definiri possit. Tolle essen-



tiam hominis, & dic mihi, quid tibi de intrinseca ratione personæ relinquatur? Mente quidem aliquid fingere & quandam abstractionem facere potes, ita tamen ut personalitati semper substituere cogaris generalem aliquam Entitatem: Quæ verò Entitas in persona hominis non generalis sed propria est. Si autem hoc verum est; ut est longè verissimum, ubi personalitas veri modi rationem habet, proindeque aliquam compositionem cum essentia facere videtur: Ergo multò magis verum erit de persona divina, quæ quidem à nobis ut modus concipitur, sed ita non est in essentia divina; quippe in quam nulla omninò cadit compositio, sive ex genere tantùm sit & differentia, sive ex actu & potentia, sive ex essentia & modo: nulla inquam cadit in Deum, utpote Ens absolutissimè perfectum, & perfectissimè absolutum; proindeque simplicissimum omni simpliciter carens compositione: Certum ergo est quòd ab Essentiali & intrinseca ratione Personæ τὸ λόγῳ, natura divina cum suis attributis nullo modo sit excludenda.

LIV. Cæterùm quando urgemus dictum Pauli Col. 2. v. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Respondet Becanus §. 8. *Aliud est loqui de humanitate Christi, aliud de ipso Christo. Igitur verba Apostoli possunt dupliciter exponi: Primò quod plenitudo Deitatis habet in Humanitate Christi. Hoc quidem Apostolus expressè non dicit, sed tamen aliquo sensu verum est. Habitat enim in Humanitate non per se, & formaliter, sed identicè seu per aliquid, quod est idem cum Divinitate nempe per subsistentiam relativam verbi, quæ per se & formaliter communicata est humanitati. Secundo, quod plenitudo Divinitatis habet in ipso Christo. Cum enim Christus sit verus Deus & verus homo, necesse est, ut sicut in eo est plenitudo humanitatis, sic etiam sit plenitudo Divinitatis: vel quod idem est, sicut in eo est natura humana cum suis proprietatibus & attributis, sic etiam sit natura Divina cum suis proprietatibus.*

LV. Quod attinet ad Coccysum, quem repetit in primo modo, sufficienter ad illum est responsum, nec est, cur actum agamus. Posterior autem ratio non est desumpta ex scriptura, sed est purum figmentum Jesuiticum. Proberur quod ita usurpetur vox plenitudinis de humana natura, ut de divina, divinisq; donis



donis dicitur, *Johan. 1. v. 16. Col. 1. v. 19. & c. 2. v. 9.* Illa locis allegatis intelligitur plenitudo, quam per unctionem Spiritus sancti, quæ sine mensura facta est, accepit Christus : jam verò demonstravimus, quod sic unctus Christus dicatur secundum humanitatem : Ergò per unctionem illam plenitudo Deitatis implevit humanitatem & illi communicata est. Quod ipse Becanus negare nequit, quando §. 10. dicit : *Notanda sunt hæc due particule : 1. Plenitudo Deitatis. 2. Corporaliter. Nam illæ significant aliter in Christo, aliter in aliis sanctis habitare Divinitatem. In Christo habitat per plenitudinem : in aliis per divisionem : (1 Cor. 12. v. 4.) In Christo corporaliter, id est, verè & substantialiter, in aliis participativè. Nam ipsa Divinitas verè & substantialiter est in Christo : in aliis per dona quedam, à Divinitate participata.* Hactenus Becanus.

LVI. Concedere ergo cogitur Becanus, quod hæc plenitudo ac corporalis inhabitatio sic dicatur in respectu ad cæteros sanctos : Verum cæteri sancti habent dona illa divina per Spiritum sanctum, & ex spiritali unctione : Quo respectu Christus unctus dicitur Spiritu sancto sine mensura, *Joh. 3. v. 34.* præ consortibus suis *Psal. 45. v. 7. Hebr. 1. v. 9.* Hæc verò omnia quia secundum humanitatem sunt intelligenda ; Sequitur, quòd etiam hæc inhabitatio de humanitate intelligi debeat : nempe quòd tota plenitudo Deitatis secundum essentiam personaliter ac realiter in humanitate Christi, tanquam in proprio suo corpore habitet. In homine hoc vel illo dicimus inhabitare sapientem sive prudentem animam. Verum quis non intelligit, quòd in ἀναλύσει propositionis illius, talis se objiciat sensus : In hujus vel illius hominis corpore habitat prudens sive sapiens anima?

LVII. Sed quid opus est, peregrina adducere argumenta, cum nihil aliud evincant verba ipsa Apostoli. Nam τ. id arguit vox σωματικῶς, quam non ad Deitatem ( ut sibi perperam & absurdè imaginatur Becanus, cum neq; Deitas sit quiddam σωματικόν neq; Deitatis plenitudo ) sed ad corpoream naturam referendā esse, usq; adeò planum est, ut Patres illud σωματικῶς, sive corporaliter hæc reddiderint periphrasi, tanquam in proprio suo corpore : juxta illud Christi, *Joh. 2. v. 19. Solvite templum hoc, &*



*in tribus diebus erigam illud* : loquebatur autem Dominus, annotante Johanne v. 21. de templo corporis sui.

LII X. Deinde etiam habitatio hæc Deitatis, respectu carnis intelligenda est : quia absurdum est dicere plenitudinem Deitatis habitare in Deitate, cum Deitas & plenitudo Deitatis simplicissimè sint unum quid. Neq; potest habitandi vox ista aliò detorqueri. Non ad unitatem illam essentialiter, ratione cujus aliàs Pater dicitur esse in Filio: nusquam autem in Filio juxta Deitatem habitare dicitur : cum habitandi vox domicilium innuat: Quo modo neq; Pater, in Filio κατοικεῖ, ut in Græco est, neq; Deitas tribus personis communis essentialiter, dicitur κατοικεῖν habitare in singulis personis, velut in Patre, in λόγῳ &c. Verissimum enim est, & à nemine negari potest, id, quod in aliquo habitat, & id, in quo fit illa habitatio, esse revera diversa : cum vicissim λόγῳ à Deitate toti Trinitati communi realiter nihil differat: Ergo inconvulsam & inconcussam perstat, Deitatis plenitudinem non in Deitate λόγῳ vel λόγῳ ipso κατοικεῖν: sed in carne.

LIX. Idq; adeò manifestum est, ut *Cyrillus* libro posteriore ad Reginas ita scribat : *In quo ergo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter? Itaq; propriè quidem & seorsim in natura verbi putare hoc esse factum, valdè stultum foret. Nam perinde esset, ac si diceret : quod ipse unigenitus habitasset in seipso.* Et lib. 12. *Theauri cap. 15. Corpus Christi templum est verè, in ipso enim voluit habitare tota plenitudo Deitatis, ut Paulus ait.*

LX. Idem etiam egregiè demonstrat D. Hunnius super hæc verba ex collatione hujus loci Paulini cum eo, qui est cap. 1. v. 19. Quoniam in eo placuit Patri ut omnis plenitudo inhabitaret. Cum enim ibi positum verbum *Ἐδοκῆσε*, inhabitationem istam ad *Ἐδοκίαν* & beneplacitum Patris referat, vicissim autem, quod Christus est plenus ab æterno Deus, non ad *Ἐδοκίαν* aut voluntatem, sed ad naturam Dei referendum sit & ad absolutam necessitatem, nonne vel hoc uno corruptela partis adversæ circa præsentem locum Apostolicum potentissimè labefactatur & dejicitur?

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092



SB

Repro

VD 77











9

ATIO NONA  
m Confessionem

ontinens

ARTICULI III.

De

LUNICA  
DIOMATUM,

*proposita*

idemiã wittebergenſi,

ESIDE

ARTINI, SS. Th.

o, Facult. Theol. Seniore,

Præposito, ac p. t.

niæ Rectore,

ONDENTE

MO PLENENI

toa Pomerano.

uditorio Collegii veteris

m 16. Novembr.



EBERGÆ

OMONIS AVERBACH,

DC XXVIII